



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ærumnæ D. N. Jesu Christi**

**Thomé <de Jesus>**

**Monachii, 1676**

Exercitium circa mortem Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

572  
EXERCITIUM  
Circa Mortem Christi.

I.

**O** Bone Pastor, perfectissime Amator ovium tuarum! venit hora, quâ prædixisti te animam tuam positurum pro ipsis, quod dicebas esse signum summi amoris, cum quis moritur pro suis amicis. O vere amice animæ meæ! ego te cupio vivere: nam dudum aliunde nimis bene agnovi amorem tuum, nec est, cur ultra tantos cruciatus, insuper ejus demonstrandi causâ suscipias agonem mortis. Et quomodo mors audebit accedere ad te, cum tu vera sis vita? quomodo potes exire ex hoc mundo, me hîc relicto? quia tamen subire vis hæc luctam, descende prius de cruce, & veni in hæc brachia mea, ut suavius moriaris in eis. Debeo tibi valedicere supremo complexu, tu verò dare mihi benedictionem. Auferes tecum cor meum, vel me simul tecum interimes. In ista cruce Deus animæ meæ, sunt omnia tibi nimis gravia: in ea sanctissimum corpus tuum, debilitate sua ingravescens, in singula momenta auget tibi dolores vulnerum; ecur non saltem ante mortem parùm respiras? Debétne hoc durare usque ad finem? O amorem constantem! ô perseverantiam, quâ nihil admittis opis usque ad finem, ante quem te nihil putas fecisse, neque contentus es!

*Constans  
amor Iesu,*

II. Manebo hîc, bone JESU, & me ad pedem crucis abjiciam, deplorans hæc separationem, cujus causâ sunt mea peccata. O anima sanctissima! nescio quid à te petere debeam; ut exeas citò, vel tardè? si citò, adimes vitam cordi meo: si tardè, cruciabis acerbissimè innocentissimum Agnum. Transfer hos dolores in me, & tunc age, quod voles. O mi Pater! qui tanto impendio me adoptasti, dic pro valedictione huic miserabili animæ aliquod verbum, dic aliquid, quod memoriâ servem, ne unquam tui obliviscar: da mihi benedictionem, quandoquidem necesse est corpore separari: maneat anima mea in tui amore, quæ renovet semper tui memoriam, ô bone JESU! ut semper vivus mihi sis præsens. O JESU, amor animæ meæ! quomodo mihi non deficiunt oculi & respiratio, dum rigeſcunt hæc membra, quæ sunt robur

*Amorosum  
desiderium  
animæ  
animæ,*

robur animæ meæ? Jam, cum caput sustentare non valeas, sed ad me inclinatum habeas, aperi pios oculos tuos, priusquam deficiat visus: aspice me cum misericordia: penetra luce illorum cor meum, & cape amore hanc animam. Si tuus amor in ea non manserit vivus, quomodo sine te vivam?

III. O mi Pater amantissime! ô sponse animæ meæ! ô sodalis ærumnarum mearum! ô amice fidelissime si vivam sine te, maneo sine patre, sine amico, sine domino, sine omni bono. Bene potes, quando ita vis, mori, ô Salvator animæ meæ! ut me tamen non deseras; quia moreris pro mea salute. Mi Domine, ac tota spes mea! quandoquidem moreris amore mei, & hic tibi infert lethalem agonem, negare mihi non potes, quod in hac ultima hora à te petam. Fecisti jam testamentum, tradis animam Patri, Corpus relinquis sepulturæ, opes tuas aufers tecum: & mihi, Pater ac Domine, quid relinquis? Relinque mihi saltem crucem: sit illa pars mea & pignus misericordiæ tuæ. Ignosce mihi, Deus meus, peccata mea in hac hora: & cum in vita pro peccatoribus tantum feceris, & oraveris, moriens mihi veniam negare non potes. Hic Domine, confiteor; & communico tecum omnia mala mea. Peccavi in te, Pater amantissime! tanquam degener Filius: peccavi contra te, ô vere amice! velut ingratus: recipe me in hac hora, quâ recedis à me, ut semper posthac vivas in me. Relinque mihi, ô amor meus! pro hereditate hanc crucem, & fontem lacrimarum, ut iis irrigetur pauper hæc anima in hoc sterili & arido exilio; & fontem aquæ vivæ tui amoris, quo rigas cælestem Jerusalem, quò nunc vadis.

*Cruce Christi  
si sit hereditas  
nostra*

NB. *Sub expiratione Domini homo se prosternat humi, & animo complexus crucem, dicat, quod sentiet, vel si defuerint verba, arte stringat IESUM tacitus: ipse enim intelligit interiora nostra. Quia hic locus est aptissimus ad alligandam animam Domino, de quo nec lingua, neque calamus potest satis dicere.*

VALE DICTIO.

IV. Proficiscere sanè feliciter, bone JESU, quando sic ipse vis. Proficiscere spes meæ, & requiesce à laboribus tuis: impone finem exilio tuo. Proficiscere, da bono latroni, quod ei promisisti.

Cccc 3

Susci-